

**www.e-rara.ch**

**Tobiae Pfanneri systema theologiae gentilis purioris**

**Pfanner, Johannes**

**Basileae, 1679**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24519>

Cap. IV.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## C A P. IV.

De

PERSONA ET OFFICIO  
CHRISTI.

## S U M M A R I U M.

1. *An Gentiles ante Christum natum de illo quid noverint? 2. Justini Martyris opinio de Christo à Socrate agnito; ex Platonis quodam loco; Marsilii Ficini sententia de explicatione ista illius loci Platonici. 3. L. Cælii Rhodigini ad mentem Justini Martyris. 4. Locus insignis Augustini in contrarium. 5. De Gentilibus, post Christum natum, quorum alii eum alicujus Dei instar, 6. Alii, quamvis non pro Deo, supra tamen communem hominum conditionem, habebant.*

## S. I.



DE Doctrina, quæ *Persona* & *Officium Christi* explicatur, humanam conditionem ipsamque mortem subeuntis pro salute humani generis, vix est, quod hic dicamus. Gentilibus enim, qui post natales Christi vixere, illam innotuisse nemo dubitat, ex quibus maximè, spernentibus tantum beneficium, beneficiique Auctorem, Judæis, Civitas, ut sic loquar, Christiana, Ecclesia nempe collecta est, at qui, eo ipso Gentilium appellationem exuentes, in Christianorum nomen transiere. Neque cæteri, quibus antiquis moribus decedere incommodum erat, ignoraverunt, non inscitia, illius, sed odio, peccantes. Unde ista Ethnicorum sævities, atque Christianorum per tot ætates calamitas. At iis, qui Christi nativitatem antecessere, quidquam de illo suboluisse, vix sibi persuadere quisquam patiatur.

II. Ne tamen quid omittam, quod egestati huic nostræ in isto Religionis articulo utcunque medeatur, Justinus Martyr (a), Christum à Socrate ex parte agnitum, affirmat, quamquam ex quibus id infert, eò, quò ille trahit, difficulter pertingant. Est apud Platonem (b) locus, qui

a *Just. M.*  
*Apol. ad*  
*Gent.*  
b *Lib. IV.*  
*de LL. pag.*  
601.

Græco sermone in hæc verba à quibusdam legitur: Ὁ δὲ θεὸς ἡμῶν πάντων ζημιῶτων μέτρον ἂν εἴη μέλιτος, καὶ πολὺ μᾶλλον, ἢ πᾶς τις ὡς Φαῖσος, ἀνθρώπων. Quæ Latine ita sonant: *Deus profecto nobis rerum omnium maxime*

fit mensura, multoq; magis, quàm quivis, ut ferunt, homo. Quibus equidem nihil inest, quod ad nostrum institutum pertineat. At monet Marsilius <sup>(c)</sup> c. Arg. in d. lib. 18. ab aliis loco τῆς ἡ, quàm, legi et, si, ut ita totus locus legendus sit, ὁ δὲ θεὸς, &c. εἰ πῶς τις ὡς μέτρον αὐτῶν πᾶσι, Deus nobis rerum sit mensura, si quis, ut ferunt, homo est. Quibus tamen duplex sensus inest, quorum unus hic, ut si quis homo mensura est, multò magis Deus mensura sit, ut adèò homo ad mensuram, non ad Deum referatur, qui quidem etiam nihil ad nos; at altero, homo non mensuram, sed Deum, spectet, ut hæc istius loci sententia sit, Deum esse debere nobis omnium mensuram, si Deus aliquis homo est, id est, si quando fiat homo, ut ferunt, nempe oracula Prophetarum. Eamque expositionem multis placere, innuit Marsilius, ita tamen, ut eam piam potius, quàm apud Platonicos acceptam, significet, cujus nos quoque sententiam sequimur.

III. Speciosiore quidem istam amplectitur inter alios etiam L. Cœlius Rhodiginus <sup>(a)</sup>, non hoc tantum, sed & aliis locis Christum, a Cœl. Rhodig. dig. Lect. ant. Lib. V. c. 28. quibusdam veluti lineamentis à Platone prius, postea & à Platonicis designatum & obscurius delineatum, affirmans, ut quem Prophetam ac Legislatorem quidem, sed divinum, Platonici putent; Qui ut habeatur talis, oporteat manifestis quibusdam miraculis ad homines divinam providentiâ mitti: Quem sanè Prophetam humani generis ducem divinum Plato atque Avicenna cognominent.

IV. At diversum magis suadet Augustini <sup>(a)</sup>, prolixior equidem, a August. Confess. VII. at egregius locus, quo is ostendens, quæ in Platonicorum libris consentanea doctrinæ Christianæprehenderit, *ibi*, inquit, legi, non quidem his <sup>9.</sup> 9. verbis, sed hoc idem omnino, multis & multiplicibus suaderi rationibus; quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. In eo vita est, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed Verbum Dei Deus est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Quia verò in sua propria venit, & sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, non ibi legi. Item ibi legi: Quia Deus verbum non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Sed quia verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non ibi legi. Indagavimus quippe in illis literis variè dictum, & multis modis, quòd sit filius in forma patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter id ipsum est. Sed quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus eum exaltavit à*

mortuis, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c. non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, & supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus filius tuus coæternus tibi, & quia de plenitudine ejus accipiunt anima, ut beate sint, & quia participatione manentis in se sapientia renovantur, ut sapientes sint, est ibi. Quod autem secundum tempus pro impiis mortuus est, & filio unico tuo non pepercisti, sed pro omnibus tradidisti eum, non est ibi. Abscondisti enim hæc Sapientibus, &c. Ut adeo, si Augustinum audias, Filii Dei naturam divinam, non humanam conditionem, & quod eâ exsecutus est, Officium, Platonicis, ipsique Platoni innotuisse, existimare liceat.

V. Istud tamen non dissimulandum, etiam ex iis, quibus, proximo à nato nostro Servatore seculis, vitam hanc agere contigit, fuisse, quibus Christum, & hominem simul & sive Deum aliquem, seu divini saltem quid in se habentem, agnoverint, ut eo loco, quo haberi oportuerat, non omnino censerent. Nescio, num his connumerare liceat Centurionem (a) istum, ejusque commilitones, qui cruci Christi custodes additi, & ostentis, quæ mortem illius secuta, moti, Dei filium compellaverunt, quos, cum Romani fuerint, elogium istud, non tanquam de unico Dei filio, sed velut Bacchi, Herculis, Æsculapii, & præsertim Quirini, virtutibus divinitatis quandam gradum, ut ipsi credebant, assessorum, exemplo protulisse, Heinsius (b) existimat; Quod etiam Augustinum (c) tendere deprehendimus, qui Lucam, Centurionem istud dictum ita referentem, ut non Filium Dei, sed Justum, prædicaverit, cum Mattheo & Marco conciliaturus, id ita expedit, ut vel utrumque dictum à Centurione intelligere debeamus, & aliud illos, aliud istum commemorasse; vel fortasse Lucam exprimere voluisse Centurionis sententiam, quo nimirum animo sensuque Jesum Filium Dei appellaverit: Fortè enim non unigenitum, æqualem Patri eum, Centurionem intellexisse, sed idèd Filium Dei dixisse, quia Justum illum crediderat, sicut multi homines; justitiæ studio atque probitate morum id dignitatis nomen adepti sint. Quidquid tamen de istis sit, certè huc pertinet illa Tiberii de divinis honoribus Christo decernendis consultatio, qui, referente id atque testante Tertulliano (d), annunciatum sibi ex Syria Palestina Christum, quod illuc veritatem illius divinitatis revelarat, detulit ad Senatum, cum prærogativa suffragii sui; addens, obscurè satis, Senatum, quia non probaverat, respuisse. Quæ tamen aliquantum declarat Eusebius (e), Τὸν Ἰ Τιβέριον, inquires, ἀνεγκέων μὲν τῆ Συγκλήτῳ, ἐκείνῳ τ' ἀπόσπασαι Φασὶ τὸν λόγον. — ὅτι μὴ περὶ πρὸν αὐτῆ τῆτο δοκιμάσσει ἦν. παλαιῶ νόμῳ κεκερατηκός, μὴ ἄλλως ἢ να παρὰ Ῥωμαίοις θεοποιεῖσθαι, μὴ ἐχρὶ ψήφῳ καὶ δόγματι Συγκλήτης. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum detulisse perhibent, sed Senatum hujusmodi relationem aspernatum esse -- eò quod Senatûs autoritas ad id non expectata videbatur, cum tamen vetus lex esset apud Romanos, ne quis absq; decreto Senatûs pro Deo haberetur. Nihilominus Tiberium in sententia saltem hæctenus perstitisse, ut nihil adversus

a Matth.  
XXVII. 54.  
Marc XV.  
39.

b Dan.  
Hensf. ad  
Matth. d. l.  
c August.  
Tom. IV.  
de Consens.  
Evangel.  
Lib. III. cap.  
20. V. quodq;  
Luc. XXI. III  
47.

d Tertull.  
Apolog.  
au. G. G. G.  
c. 5.  
c Euseb.  
Hist. Eccl.  
lib. II. 2.

sus doctrinam Christi durius decerni passus sit, quin comminatus potius, si quis Christianos eo nomine deferre auderet, uterque adjiciunt. Quamquam, an tota ista narratio ex vero se habeat, integrâ tantorum virorum existimatione, me dubitare, diffiteri non possum. Quæ enim ratio spernendæ Imperatoris relationis, quia sine Scto talia decerni nefas sit, cum hanc ipsam ob causam ad Senatum de negotio retulerit Tiberius, non ita dominationi intentus, ut non simulacra libertatis relinqueret ostentaretque, ut sententiis suis decretoque id Senatus approbaret. Et difficilius sibi persuaderi patietur, relationem inclinationemque Cæsaris incitamentum Senatui fuisse, quo promptius constantiusque adversaretur, qui projectam ad infima quæque obsequia, & quorum vel ipsum Tiberium sæpe pigeret; non Senatorum minus atque aliorum servitutem consideraverit. Ne tamen fidem omnino derogemus, Scriptorum, quos adduximus, auctoritas facit; adeoque non totam narrationem, sed partem quandam, in dubium vocamus. Cæterum, unde ista Christi apud Tiberium existimatio, quod obscurius iterum allato jam loco Tertullianus innuit, apertius rursus significat Eusebius, cum scribens, admiranda Servatoris nostri resurrectio ejusdemque, in cælum ascensio omnium penè sermonibus jam pervulgata esset, quoniam vetus hæc erat consuetudo Provinciarum Rectoribus; ut quidquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nunciarent, ne quid ipsos lateret: Pilatus de resurrectione Servatoris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palestinam celeberrima erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque, alia ejusdem miracula se auditu accepisse significans, & qualiter, ad vitam denuò revocatus, à plerisque jam se audiret. Quibus equidem Acta, ut vocant, Pilati designari, certum est, ad quæ præter Epiphanium (f) mentionem istorum levius facientem provocans Justinus Martyr (g), Atque hæc ita esse, Imperatores suos monet, cognoscere ex Actis, quæ sub Pilato conscripta sunt; potestis. Atque aliquantò inferius iisdem fermè verbis: Et quod ista fecerit, ex iis, qui sub Pilato conscripti sunt, Commentariis cognoscere potestis. Et animi sui sententiam clariùs explicans Tertullianus (h): Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nunciavit. Quæ tamen postea à Quarto decimanis, atque Maximo Tyranno (i) corrupta multum auctoritatis fideique deperdidere. Parem erga Christum pietatem reverentiamque Hadriano Imp. Lampridius (k) tribuit, immeritâ, si alios audias, laude, qui odium ejus in Christum persecutione adversus nostros institutâ, atque positâ in templo ac loco Dominicæ passionis (l), in nominis Religionisque Christianæ contumeliam dæmonum simulacris, testatum memorant; quamvis ex eo multum eum remisisse, non Apologias tantum à Quadrato atque Aristide oblatas, sed & Serenii Groniani Proconsulis literis ad mitiora revocatum (m), dissimulari non debeat. Præter hunc etiam M. Aurelius, Alexander Severus, cætera quoque; non minus Princeps, Christum, cum publicè, Senatu itidem adversante, non liceret privativè in Larario suo majori coluit, in quo & divos Principes, sed optimos

Epiph. har.  
 50.  
 Justin.  
 Martyr. A.  
 pol. 2.  
 Tertull.  
 d. Apolog.  
 c. 21.  
 Vid. Job.  
 Lud. Ruel.  
 Hist. Con-  
 cil. Tom. I.  
 (p. 92.)  
 k Lamprid.  
 in Alex.  
 Sc. 6.  
 i Vid. Sul-  
 pic. Sc. 6.  
 Lib. 11.  
 m Justin.  
 M. d. Apol.  
 sub fin.  
 Tertull. A.  
 polog. Eu-  
 (eb. IV. 3. 8.  
 & 9. Sul-  
 pic. Sc. 6. d. 1.

mos electos, & Animas sanctiores, in iisque juxta Apollonium, Orpheum aliosque hujuscemodi Deos, indigno quidem consortio, etiam Abrahamum, atque Christum (simili videlicet societatis ratione, quâ Marcellinam quondam Carpocratis sectæ addictam, imagines Homeri & Pythagoræ pariter ac Jesu & Pauli adorando incensumque ponendo coluisse

n<sup>o</sup> August.  
Tom. VI.  
de heres. ad  
Quod Gult  
Deum. n. 7.  
o Lamprid.  
d. l.

Augustinus (n) memorat,) habuit, si vel hic Lampridio (o), ad Scriptorem Hadriano coævum provocanti, fidem commodare licet; qui eum templa facere voluisse, eumque inter Deos recipere cum retulisset, idèd Senatuum obstitisse adjicit, quòd ex sententia virorum, rerum legumque sacrarum peritorum, Christi cultu admissò omnes Christiani futuri, & reliquorum Deorum templa vacua cultoribusque suis destituenda forent. Eodem videlicet modo, quo Deum Hebræorum, cujus cum Christo Salvatore nostro, ejusdem quippe, si divinam naturam spectes, conditionis, communis ut ita loquar, imò eadem causa, eademque colendi negligendive ratio, Romani, quarumcunque aliarum gentium à se devictarum Deos suos facere soliti, admittere recusarant, quòd, ut Augustinus (p) ratiocinatur, viderent, si ejus Dei sacra reciperent, qui se solum, delictis etiam simulacris, coli juberet, dimittenda esse omnia, quæ prius colenda susceperant, quorum nempe religionibus imperium suum crevisse, arbitrabantur. Quippe cum ex ipsa rei ratione, Socratis quoque sententiâ comprobata, unumquemque Deum sic coli oporteret, quomodo se ipse

p August.  
de Confes.  
Evangelist.  
Lib. I. c. 12.

colendum esse præceperit, Summa, ita paulò infra Augustinus (q), istis necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum, quia si alio modo eum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset, non utiq; illum colerent, sed quod ipsi finxissent. Si autem illo modo vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent: magis arbitrantes sibi obsuturam fuisse istorum iracundiam, quam illius benevolentiam profuturam. Atqui par, ut dictum, rejiciendi etiam Christi causa, cujus cultus cultui isti innexus, & qui itidem falsorum Deorum societatem ferre non posset. Et verò, ob hanc potius, quam quæ supra ex Tertuliano ac Eusebio allata, causam, Senatuum Tiberio non adfensisse, conjicere licet.

q cap. 18.

a Vid. Christian.  
Korholt. Dissert.  
de Relig.  
Muhamm.  
S. 13.  
b August.  
d. lib. I. c. 7.

VI. Minori, non tamen nullo, honore Christum habuere Ethnici, qui, ad instar Muhammedanorum (a), quanquam Christum Dei loco non haberent, supra tamen communem hominum conditionem extollebant; quales suo tempore extitisse, Augustinus (b) testatur, qui scilicet Christum culpæ aut blasphemare adeò non auderent, ut excellentissimam potius ei sapientiam, tanquam homini tamen attribuerent, adeoque licet non ut Deum colendum, (quod ex discipulorum postea errore malitiaque in magistri venerationem accesserit,) tamen ut sapientissimum virum honorandum, existimarent. Quin ipsos Gentilium Deos, aut veriùs, dæmones, Christum, ad istum saltem modum laudasse, etiam Porphyrius, infensissimus Christianæ veritatis adversarius,

con-

confessus est, παράδοξον, apud Eusebium (c) inquit, ἵσως δόξειεν αὐτῷ ἐπι- *Euseb. De-*  
 σιν εἶναι μέλλον γενέσθαι ὑφ' ὑμῶν: τὸν γὰρ Χριστὸν οἱ θεοὶ δοσεύεσσαν ἀπεφή- *monstrat.*  
 ναντο, καὶ ἀθάνατοι δόξῃ μὴ αὐτῶν μνημονόωσιν. Præter opinionem profecto, *Evangel.*  
 ita Augustinus (d) vertit, quibusdam videatur esse, quod dicturi sumus. Christum & *de Crō. Dei*  
 enim Dii piissimum pronunciauerunt, & immortalem factum, & cum bona prædicatio- *XIX. 23.*  
 ne ejus meminerunt. Ejusque rei specimen hoc Dei responso, ad quæstionem  
 de Christo, edito, exhibet:

Ὅτι μὲν ἀθάνατη ψυχὴ μὲν σῶμα παρβαίνει.  
 Γινώσκει σοφίῃ τελευτημένη, ἀλλὰ γὰρ ψυχὴ  
 ἄνεργον δοσεύεσσαν παρφερέσασθαι ἐστὶν ἐκείνης.

Quæ iterum ita reddit Augustinus: Quoniam quidem immortalis anima post  
 corpus ut incedit nosti: à sapientia autem abscissa semper errat. viri pietate præstantis-  
 simi est illa anima, hanc colunt alienâ à se veritate. Quibus δοσεύεσσαν ἀρεῶν,  
 subjicit Porphyrius, ἔφη αὐτὸν καὶ πλεὴν ψυχῆ αὐτοῦ, καθάπερ καὶ τῶν ἄλ-  
 λων μετὰ θανάτου δωροδοκῆσαι. ἦν σέβειν ἀνεύχοντες τὴν Χριστιανῶν. Piissimum  
 ipsum virum eum dixit, (Deus iste scilicet,) & ejus animam, sicut & aliorum pio-  
 rum post obitum immortalitate donatam. Et hanc colere Christianos errantes. Deni-  
 que, cur igitur damnatus sit homo tam pius, interrogantibus, respondit  
 se eundem Deum, refert Porphyrius;

Σῶμα μὲν ἀδυνατέσθαι βασιάνοις, ἀεὶ παρβεβλήται,  
 ψυχὴ δὲ δοσεύεσσαν εἰς ἐρείδιον πέδον ἵξει.

Corpus quidem debilitantibus tormentis semper oppositum est:  
 Anima autem piorum cœlesti sedi infidet.

Quibus tamen qui dolus subsit, Augustinus ibi indicat. Quamvis non  
 mirum sit, talia de Christo, à Dæmonibus, prædicari, quem Filium  
 Dei expressè fateri coactos, præter alia, etiam Scripturæ  
 sacrae testimonio constat.

